

www.e-rara.ch

**Athenae Rauricae, sive catalogus professorum academiae Basiliensis ab
a. MCCCCLX ad a. MDCCLXXVII**

Herzog, Johann Werner

Basiliae, MDCCLXXVIII [1778]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 6246

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24279>

Professores philosophiae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PROFESSORES PHILOSOPHIÆ.

I. JOHANNES CREUTZER, de Gebweiler, A. L. M. Canonicus & Prædicator ecclesiæ Bas. primus fuit ordinis philosophici Decanus a. 1460. V. Prof. Theol. n. 2.

II. JOHANNES DE GENGENBACH, A. L. M. S. Theol. Baccalaureus, & Juris Pontificii interpres, divinæ Poëticæ fuit Ordinarius, nec non Academix Rector a. 1481. V. Prof. Juris, n. 13.

III. HENRICUS LORITUS de Glarus, f. Glarona, Helvetiæ pago oriundus, a quo, sive a parentum domicilio in Mollis, *Glarea* dicto, vulgo *Glareani* nomen obtinuit, natus fuit d. 28. Maj. f. Mart. a. 1488. Ex patria egressus varias Academias adiit, & omnis generis artibus diligentissime incubuit. Inprimis Viennæ Austriæ, ubi *Vlr. Zuinglium*, *Vadianum*, *Job. Fabri*, *Eccliumque* condiscipulos habuit, & dein Colonia Agrippinæ Philosophiæ operam dedit, ubi & Magisterii titulum obtinuit. Ei domum reverso a. 1510. pastoratus ecclesiæ in *Mollis* deferebatur, quem vero non accepit & Lucernam abiit, ubi aliquamdiu commoratus *Zuinglii* & *Myconii* causam fortiter egit. In arte præsertim poetica ita excelluit, ut a. 1512. a Maximiliano I. Cæsare laurea poetica fuerit donatus. Ut a. 1514. Basileam venit, *Erasmo*, *Budeo* atque *Zafio* familiarissimus evasit. Dein a. 1521. Lutetiam fuit profectus, ubi per triennium, regio usus stipendio, substitit, & quæ adhuc deerant sublimioris eruditionis, ingenii felicitate & industria sibi comparavit, ut doctissimis etiam viris compararetur. Lutetiæ degens amicitiam contraxit cum *Jac. Fabro* Stapulensi, & præter literas hebraicas inprimis græcas exactius didicit a *Job. Lascari Rhyndaceno*, natione græco. Eruditioni Glareani eximæ accessit vitæ integritas, & singularis modestia, qua principum aulas, in quas sæpe fuit invitatus, fastidiebat, bonis literis unice se natum existimans. Tempe-

rantissimus fuit in victu, unde cum in convivio a quodam ad potum importunius urgeretur; *ecquem tu me putas?* inquit; cum is virum probum & doctum dixisset; *ergo ne cane meo sim indoctior, quam diu sitio, tam diu bibendum esse scio.* Ab alio interrogatus, *quomodo viveret?* respondit: *bene, vivo more principum;* tunc alteri, *quid hoc sit,* interroganti respondit: *Habeo cibum & potum, & multa debeo.* Lutetia Basileam cum rediisset, in Professorum numerum adlectus & philosophorum ordini fuit adscriptus, Poeticam præcipue & Mathesin, quam restaurasse dicitur, publice professus. Oeconomus quoque in Collegio fuit constitutus, ubi publice privatimque docendo de juventute pulchre imo optime est meritus. Decanatum etiam philos. gessit a. 1526. Basileæ etiam duxit uxorem, filiam civis haud ignobilis. Operæ pretium est audire Erasmi de eo testimonium; occurrit hoc in epistola ad Urbanum Regium, Ep. l. 18. & hujusmodi est: *Est apud nos (Basileæ) Henricus Glareanus, Casarea laurea insignis, quod equidem decus inter tot juvenis ornamenta multo infimum esse duco. In omnibus disciplinis, quas mathematicas vocant, eximie doctus, neque vulgariter exercitatus. In omni, quæ nunc in scholis traditur, Aristotelica philosophia eo progressus, ut cum summatis etiam congrredi possit. Magnam insuper Theologica rei partem assecutus. In Geographia, in historiis absolutus. Denique nullum est genus literarum, in quo ille non sit felicissime versatus. Græce quoque doctus usque ad mediocritatem, & hic brevi absolvendus, quæ est hominis tum industria tum dexteritas. Adde huc etatem maxime tempestivam huic negotio. Ad trigessimum accedit annus, quæ etas ut grandior est, quam ut contemptui sit obnoxia: ita laborum omnium longe est tolerantissima. Est autem Glareanus præter etatem peculiari quadam naturæ dote literarii laboris & appetens & patiens. Quod nescit, discit avide, quod scit, docet libenter & candide. Moribus alacribus ac festivis, ac prorsus omnium horarum homo. Addam extremum calculum, quem ego vel in primis æstimandum arbitror. Ingenium integritati natum. Abhorret a computationibus istis temulentis, abhorret ab alea, a turpiloquio, a scortis ita, ut harum rerum ne mentionem quidem ferre possit. Scio quem commendem - - - Bas. non. Mart. 1516.* De hac tamen benigna æstimatione Erasmus postea aliquid

quid remiſſiſſe videtur, vel paululum æmulus, quod ſe in ſtudio hiſtorix, antiquitatum atque Critices a Glareano ſuperatum videret, vel aliquantum offenſus, quod Glareanus ſententiam ſuam de linguæ græcæ pronun-
 ciatione falſius derideret. Certe Eraſmus in teſtamento omnium amicorum vel Baſileæ vel in vicinia habitantium memor ſolius Glareani immemor fuit; hoc ne exacerbaretur, hæres *Boniſ. Amerbach* Glareano ex ſup-
 pellectile Eraſmiana vas argenteum haud exigui pretii dono miſit, Eraſmi amicitiam ita in mentem ipſi re-
 vocaturus. Inprimis vero jucundum, quod *Brandmullerus* in laudatione funebri *Bernh. Brandii* de Glareano refert, nempe cum audiviſſet, Nobiles quosdam ex Italia ipſum *videndi* cauſa adveniſſe, juſſit, ut cras redirent, qui cum reverſi eſſent, Glareanus laurea indutus & aurea torque ornatus conceſſit in conclave quoddam elegans & amplum, ubi ſe in hemicyclum recipiens juſſit eos ingredi; Nobiles ingredientiſ Glareanum ſaluta-
 bant, tum ille ſedebat immotus, perinde quaſi illos non videret, quos etiam ita abire patiebatur. Hoc cum Itali mirarentur, hancque inhumanitatem per nuncium quendam Glareano exprobrarent: *Cur illis inhumanus videar, quum ſolum ad me videndum venerint?* reſpon-
 dit: at poſtea ab illis invitatus totus dies jucundiſſimis colloquiis fuit conſumtus, ut ita ipſius humanitatem, prudentiam, eruditionem, faceta dicta, ſervata tamen gravitate, Itali cognoſcerent. Sed ruſticos proderet mores, ſi vera eſſent, quæ *Gasp. Enſ*, Jeſuita, de eo perhibet; rem ita narrat: „ Magna fuit olim inter Pro-
 „ feſſores Baſilienſes controverſia, ecquis Henrico Gla-
 „ reano in Profeſſorum numerum cooptato in publicis
 „ conſeſſibus locus eſſet adſignandus. Etenim quum
 „ illuſtris eſſet poëta, & commentariis aliquot in lucem
 „ editis clarus, Magiſtrorum ſubſelliis videbatur ſupe-
 „ rior; quia vero doctoralibus inſignibus non erat or-
 „ natus, inter ejus ordinis homines non admittendus
 „ videbatur. Itaque bonus Glareanus vel inter ſcho-
 „ laſticos deliteſcere, vel magiſtris extremus adhærere
 „ cogebatur. Tulit quidem id moleſtiſſime, diſſimula-
 „ vit tamen, futurum ſperans, ut ſibi honeſtior ali-
 „ quando aſſignaretur locus; verum poſteaquam rem
 „ exitum nullum habere vidit, rationem aliquam com-
 „ miniſci inſtituit, qua certam inter Profeſſores locum

„ inveniret. Itaque cum Doctores nonnulli creandi ef-
 „ sent, asinum conducit, & conscendit, & in gymna-
 „ sium sic invehitur, & scholasticorum cœtui immistus,
 „ sic asino insidens omnium oculos in se convertit.
 „ Variæ tum erant pro cujusque ingenio spectatorum
 „ cogitationes. Erant, qui subverebantur, ne homo e
 „ mentis potestate exiisset: alii vero risu prope rumpe-
 „ bantur, quoties asinus vel ruderet, vel calcitraret;
 „ alii denique putabant fieri hoc ab eo, ut doctorandis
 „ medium ostenderet digitum, eorumque insultatam
 „ perfringeret. Quid multa? Cœpit ad extremum
 „ ejus Scholæ Rector e Glareano ipso percontari, quam-
 „ obrem jumento isto sic in panegyrim hanc deferri
 „ voluerit? Ut, respondit ille, certa mihi sit & sta-
 „ bilis sedes; tot enim nunc mensures dubitatis, inter
 „ Doctores ne an Magistros mihi locus assignandus sit;
 „ quamobrem ut & vobis hunc scrupulum evellam, &
 „ mihi ipse non desim, constitui deinceps huic asino
 „ insidere & ex eo vos audire. Quid sit? Non Rec-
 „ tor modo sed & universus fenatus acad. summo eum
 „ opere rogat, ut asino valere jussu suam porro inter
 „ Doctores sedem sibi sumat. Quod quidem quum im-
 „ petrari tum a Glareano non posset, actum hunc in
 „ sequentem diem relicere coacti sunt, ad quem Gla-
 „ reanus honorifice in Lycæum introductus, solenni-
 „ terque in Doctorum subselliis collocatus fuit”. Sed
 facta Basileæ religionis mutatione a. 1529. cum aliis Fri-
 burgum Brisgoiæ commigravit, identidem, ut ipse ad
 amicum scripsit, cantillans: - - *veteres migrate coloni,*
 & historicam atque poeticam professionem ibi magna
 cum laude obiit; hic in *Zuinglium*, cujus ecclesiæ re-
 formandæ conatus olim probaverat atque defenderat,
 graviter fuit invecus; tandem cum rem literariam diu
 voce & scriptis adjuvasset, ætate & laboribus exhau-
 stus fatis concessit d. 28. Maj. a. 1563.

Ejus scripta edita sunt: *Helvetiæ descriptio cum IV. Hel-*
vetiorum pagis ac XIII. urbium panegyrico, Bas. 1514. 1515.
 1519. 4. & 1554. 8. Insertum est hoc opusculum Freheri
 Collect. Script. Germ. T. 2. Schardio redivivo, T. 1. The-
 sauro Hist. Helv. ejusque nomine honorario amplo ab Hel-
 vetiæ civitatibus fuit adfectus. *De ratione syllabarum bre-*
vis isagoge, Bas. 1527. 8. *de figuris compendiosa lucubratio, & elegiæ*
quadam, Bas. 1516. *Isagoge in Musicam*, ib. eod. *Annota-*
tiones

tiones in T. Livium & *in totam Romanam historiam cum chronologia*, ib. 1531. 1535. 1540. 1542. fol. Lugd. 1542. 1555. 8. Franc. 1568. fol. de *Geographia liber*, Bas. 1527. 4. Franc. 1532. fol. ab ipso auctore tertio recognitus, Frib. 1533. iterum ib. 1539. & Col. 1581. 8. *Annotationes in Dionysium Halic.* Bas. 1532. Franc. 1586. fol. *Annotationes in Salustii historiarum fragmenta*, Bas. 1538. 1569. Franc. 1607. Amst. 1690. 8. *Isagoge in Arithmeticam*, Frib. 1539. *Annotationes in Horatium*, Paris. 1533. 4. Frib. 1535. 8. & 1540. cum ipsius Horatii operibus; seorsim ib. 1539. & Bas. 1540. 1543. 1545. & 1580. fol. *Annotationes in Cæsaris commentarios*, Frib. 1538. 8. Lugd. 1540. Frib. 1544. Franc. 1569. 8. Bas. 1583. 8. *Judicium in Terentii carmina*, Lugd. 1540. 8. *Annotationes in Ciceronis librum de Senectute*, Bas. 1544. *Arithmetica* & *Musica operum Bæthi demonstrationibus* & *figuris auctior*, Bas. 1546. 1570. fol. *Dodecachordon*, Bas. 1547. fol. *Ælii Donati methodus scholasticis illustrata*, Tub. 1547. Tig. 1553. 8. *Elegiarum l. 2. ad Huldric. Zuinglium*, excusi una cum musica ipsius, 4. *De arte musica*, Bas. 1549. fol. *de vi arithmetice practice*, Frib. 1550. 8. *de ponderibus ac mensuris*, Bas. 1550. *libellus de asse* & *partibus ejus*, Bas. 1550. 1551. fol. *Annotationes in Valerium Max.* Bas. 1553. Lugd. B. 1726. 4. *Annotationes in Eutropium*, Bas. 1555. 1559. 8. 1594. 8. *Epistola ad Job. Hervagium, qua continetur apologia adversus Cæoli Sigonii maledicta in ipsum*, & *judicium de illius doctrina* & *emendationibus Livianis*, Patav. 1557. *Annotationes in Ovidii Metamorphoses*, Bas. 1568. 8. Amst. 1727. 4. *Annotationes in Suetonium*, Antv. 1574. 8. Franc. 1588. fol. Amst. 1736. *Annotationes in Cornelium Tacitum de moribus* & *populis Germanis*, Bas. 1574. & in Schardio redi-vivo, T. 1. *Annotationes in Lucanum*, Bas. 1550. 8. Lugd. B. 1728. 4. *Vita S. Felicis, Regule* & *Exuperantii. Compendium romane historie*, Paris. 1573. *Annotationes in Job. Cæsarii dialecticam*, Col. Agr. 1567. 8. *Pii II. P. M. Asiae, Europaeque elegantissima descriptio; accedit H. Glareani compendiaria Asia, Africa, Europaeque descriptio*, Paris. 1534. 8.

IV. JOHANNES REUCHLINUS, f. *Capnio*, J. V. D. linguarum restaurator egregius, natus est Phorcemii, oppido marchionatus Badensis, d. 28. Dec. 1454. alii annum 1458. vel 1459. ejus natalem fuisse perhibent. Cum fratre natu minore, *Dionysio*, ludo literario commissus inprimis in arte musica ita profecit, ut adolescentibus in templis præcinere solitis fuerit adjunctus; dein in ipsa aula Badensi pueris symphoniacis additus atque ipse

ipſi adoleſcenti marchioni Badenſi, Lutetiam proficiſcenti, comes fuit datus, quæ initia erant ſurgentis fortunæ. Lutetiæ dialecticam Ariſtotelis ad unguem didicit, Latinam linguam, cujus jam aliquam habuit peritiã, magis exercuit, præſertim vero literas græcas impenſe amabat, magiſtro uſus *Hermonimo Spartiata*, a quo etiam calligraphiam didicit, qua arte & in eruditorum conſuetudinem ſeſe inſinuavit & haud exiguum peculium ſibi comparavit. Literas etiam hebraicas percepit a *Weſſelo Friſio*, viro pio atque erudito. Per aliquot igitur annos doctiſſimorum virorum uſu excultus, Baſileam conceſſit a. 1474. ubi hoc eodem, quo in matricula Rectoris civis eſt inſcriptus, anno lauream philoſ. & a. 1477. dignitatem magiſtralem accepit. Ab hoc tempore publico nomine in Academia literas græcas atque latinas docuit, plurimoſque codices græcos a patribus concilii Baſileæ relictos evolvit; hac occaſione in ejus notitiã venit codex N. T. membranaceus ſec. X. pretioſiſſimus, quem Cardinalis Raguſinus teſtamento legavit fratribus prædicatoribus conventus Baſ. hunc Reuchlinus Stutgardia literis mutuo petiit 11. Cal. Aug. 1488. & obtinuit, ipſe vero codex ultra 30. annos detentus demum poſt mortem Reuchlini redditus fuit. Reuchlinus autem Baſileæ cum verſaretur, non ſolum munus profeſſoris diligenter obiit, ſed & *Amorbachioſ* fratres typographiam inſtituentes opera ſua multum adjuvit. Ceterum juris ſtudio ſeſe addixit Reuchlinus illudque diligentius proſecuturus Aureliam abiit, ubi præcipuum quidem laborem poſuit in juris doctrinã, tamen ipſe græcas atque latinas literas docuit alioſ, præſertim nobileſ, a quibus cum largum accepit διδασκαλον, ſtudioſorum ſuntus habuit copioſos. Pictavii J. V. D. creatus Tubingam petiit, & *Eberhardo*, duci Wurtemb. Romam proſecturo comes fuit adjunctus. In itinere bibliothecam Florentinã luſtravit & cum *Marfilio Ficino*, *Angelo Politiano* aliſque eruditis amicitiã contraxit. Reverſus Roma legatus miſſus fuit ad *Fridericum* III. Imp. qui eum ita benigne habuit, ut ei, ſubmonente medico imperatorio, *Jehiele Loans*, Judæo, quo Reuchlinus in hebraicis præceptore fuerat uſus, pretioſiſſimum codicem hebræum, Moſis atque prophetarum libros complectentem, muneri dederit, eum poſteroſque in nobiliſſimum ordinem adlegerit, comitemque palatinum dixerit.

Accepto

Accepto hoc codice, qui postea Phorcensi, denique Durlacensi bibliothecæ fuit insertus, novo stimulo in literas hebraicas ferebatur, quibus omne, quod ab aulicis negotiis vacuum habebat, tempus impendit. Mutato dein aulæ Wurtemb. statu, & Reuchlino, cui insidiæ struebantur, in aulam Palatinam translato, nova mox itineris Romani ei data fuit occasio. Romæ invenit eruditum Judæum, *Abdiam* nomine, quem, cum legationis negotia supra annum protraherentur, diligentius audivit, & perfectam linguæ hebrææ, pro singulis institutionis horis singulis aureis solutis, acquisivit notitiam, quam dein per totam Germaniam dispersit. *Argyropyllum* etiam Romæ audivit Thucydidem explanantem, publicasque ejus frequentavit lectiones. Rebus feliciter gestis, in Palatinatum fuit reversus, & compositis in ducatu Wurtembergico litibus, permittente, ægre quidem, Palatino, illuc ad uxorem literasque rediit. Sed dulciori quiete haud diu fuerat gavifus. In *judicium fœderis suevici* adlectus, huic muneri, ex quo ei quater quotannis Tubingæ cum duobus aliis iudiciis conventus erat habendus, aliquandiu præfuit, sed ejus tandem pertæsus, quo in literas magis incumberet, ab eo se abdicavit, totumque libris legendis atque scribendis tradidit. Verum pax ista haud fuit diuturna. Colonix nempe Agrippinæ erat impostor quidam Judæus, qui religionem christianam simulans familiaris erat monacho inquisitori ejusque amicis. His ostendit, magnam pecuniæ summam honesta specie Judæis eripi posse, si edictum Imperator proponat, ut Judæi omnes libros, excepto codice sacro, in curiam comburendos adferant. Sperabat enim fore, Judæos libros magna pecunia, quam inquisitores cum ipso partirentur, redempturos. Monachi hujusmodi edictum ab Imperatore sub religionis prætextu eliciunt, & libri Judæorum singuli Francofurti in curia deponerentur. Judæi autem, quibus in aula itidem erant patroni, tempestatem istam illorum auxilio ita temperarunt, ut Imperator hebræorum librorum jam undique congestorum incendium differret, donec aliquot eruditorum virorum consilium hanc in rem perceperit. Reuchlinus præ aliis de sententia rogatus respondit: Hebræorum libros in Christum blasphemos, hos nominatim indicavit, aboleri, ceteros vero, grammaticos, medicos, theologicos posse servari. Hæc sententia

tentia Imperatori tanquam mitior atque sapientior placuit, libri Judæis fuere redditi, sed monachi, quos spes lucri fuit frustrata, odii atro felle flagrarunt, & Capnionem hæreseos accusarunt. Combufferunt quoque Moguntiaë aliquot factiosi homines librum Reuchlinianum, & conviciis prosciderunt Reuchlinum; is vero luculenta oratione se defendit & ad Imperatorem atque Pontificem provocavit. Pontifex Episcopo Spirensi mandavit, ut controversiam cognosceret. Hic delegit iudices sapientissimos, in quibus erat *Capito*, isti pro Reuchlino pronunciarunt. Sed nondum quieverant Monachi, & rursus ad Pontificem provocarunt, a quo vero Reuchlinus, *Galatino*, *Erasmo* aliisque intercedentibus, fuit absolutus. Nec furibundi isti homines in Reuchlinum ejusque amicos, *Erasmum*, *Huttenum*, aliosque debacchari desierunt, donec *Lutherus* advenit eisque silentium imposuit. Reuchlinus ita periculo liberatus, & a duce Bavarie, *Guilielmo*, jam senex invitatus, in academia Ingolstadiensis græcam & hebræam linguam docuit; postea & Tubingam accersitus est, sed morbo icterico laborans Stutgardiaë d. 30. Jun. a. 1522. ex hac vita discessit. In testamento suo plura pie mandavit, librosque suos hebræos & græcos donavit collegio Phorcensi, qui ibi in templo publice servantur & ab omnibus inspicere possunt.

Edidit *Lexicon latinum*, cui nomen dedit *Breviloqui*, Basil. 1480. 1. de accentibus & orthographia linguæ hebraicæ, Hagen. 1518. 4. ib. 1541. 4. *diccionarium hebraicum cum grammatica hebraica*, Pforzhem. 1506. fol. Bas. 1537. fol. de verbo mirifico, Lugd. 1522. 16. Col. 1532. 8. de arte cabbalistica l. 3. Spir. 1494. fol. Tubing. 1514. fol. Hagen. 1517. 1530. fol. Basil. 1550. 1587. fol. de arte prædicandi, Phorcæ 1504. 4. Basil. 1540. In septem Psalmos pœnitentiales hebr. interpretationem, Witteb. 1529. 8. *Scenica progymnasmata*, 1498. 4. Monasterii 1509. 4. cum explanatione *J. Spigellii*, Tub. 1512. 4. Lips. 1514. 4. ib. 1515. 4. Tub. 1516. 4. *Sergium*, s. capitis caput, comœdiam, Lips. 1521. 4. cum commentario *Georgii Simleri*, Pforzh. 1507. 4. orationem de Palatini Electoris & nobiliss. ducum Bavarie reverentia erga Ecclesiam, coram Pontifice habitam, 1498. *Oculare speculum*, Tub. 1511. 4. defensionem contra calumniatores suos Colonenses, 4. *Epistolas obscurorum virorum*, quæ admirabili facetiarum lepore condita stylum Monachorum ineptissimum exprimunt, editio prima prodiit sine nota anni impressionis, secunda a. 1516. 4. cum dialogis
mire

vire festivo, 1556. 8. cum addit. Francof. 1581. 1643. 8. Lond. 1701. 12. *Epistole clarorum virorum* ad Joh. Reuchlinum, Phorcensem, missæ, latinæ, græcæ, hebraicæ, impressæ sunt Tub. 1514. 4. Hagen. 1519. 4. Tig. 1558. 8. *Dialogum, an Judæorum Talmud sit supprimendum?* Colon. 1518. 4. *destructionem cabbale s. cabbalistica perfidiæ*, Colon. 1519. 4. *de præexercitamentis Rhetoris l. 1. de diversitate quatuor idiomatum græcæ linguæ l. 1. Orationem funebrem in mortem Rudolphi Agricola.* Ex hebræo in latinum transtulit: *R. Josephi Canticum, dictum: Catinus argenteus, continens sententias morales &c.* Tubing. 1512. 4. Edidit porro epitomen historiarum; nec non comediam *sale plenam sub nomine fabulæ Gallicæ; dialogum osci & volsci ludis rom. act.* sine loco & anno, 4. Multa etiam e græco in latinum vertit, ut *vitam Constantini M. S. Athanasii l. de variis questionibus &c.* cum annotationibus, Hagen. 1519. 4. *S. Athanasii in librum Psalmorum a Jo. Reuchlin nuper integre transl.* Tub. 1515. 4. *Xenophontis apologiam pro Socrate. Nestorium hereticum; confessionem Cypriani; Proclum de beata Virgine. Luciani aliquot mortuorum dialogos; ejusd. dialogum de concilio Deorum; Monomachiam Iliados Homeri de Paridis & Menelai duello, in lingua germ. metricè. Epiphanium de morte Prophetarum; Maximum Tyrium Platonic. Philosoph. in orat.* Si Deus fecit bona, unde veniant mala. Reuchlini vitam conscripsit *J. Henricus Majus*, qui plura desiderantibus consulendus.

PROFESSORES PÆDAGOGII CLASS. I. s. GRAMMAT. ATQUE AUCT. LAT.

Pædagogium erat inter Academiam ludumque triviale medium. Institutum erat a. 1544. sub Rectoratu *Oswaldi Beri*. In quatuor classes divisum quatuor Professores regebant, quorum quilibet singulis diebus, feriatis exceptis, philosophiæ studiosis lectionem habebat in collegio superiori, *Augustino sacro*, hinc & *Pædagogium Augustinianum* vocabatur. In prima classe tradebantur præcepta Grammaticæ Latinæ; in secunda auctor linguæ latinæ tractabatur; in tertia Grammatica Græca & in quarta auctor græcus explicabatur. Sub initia vero hujus instituti pensum mutatum & ita ordinatum fuit, ut in prima classe Grammatica Lat. & auctor Lat.